Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 481
Quelle:
Copyright:

ſtro praeſente diſtinctum, neque falli quenquam oportere, quaſi illud noſtri compendium, aut noſtrum illius ſit; tota enim Tractatio diverſa eſt, et dum illud Litera A. ſequentes cenſet Titulos: *Abſtinentia, Acceptio Munerum, Accidia, Adoratio Dei, Adulatio, Ambitio, Amicitia, Amor Dei, Amor Proximi, Amor carnalis, Angeli boni, Angeli mali, Anima, Apparitio, Aſpectus, Aſtutia, Avaritia, Auditus verbi Dei, Aviditas mulierum, Auxilium Dei;* Noſtrum non niſi ſequentibus definitur: *Abſtinentia, Accidia, Adulatio, Amicitia, Angeli, Apoſtoli, Aſcenſio, Avaritia.*

CLXXIII. VII. g. 14.

562 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 306. 4. currente calamo exaratus rubricisque diſtinctus hoc gaudet titulo: *Incipit liber ſuper bijſtorijs noui ac veteris teſtamenti Juxta ordinem alphabeti per fratrem Petrum de Bruniquello ordinis fratrum heremitarum ſancti auguſtini epiſcopum ciuitatis noue.* Exemplum Operis hujus *mſ.* adfert e Bibliotheca *Vintimil.* Ordinis ſui *Oſſingerus* in *Bibl. Auguſt.* p. 164. ad cujus calcem *completum* dicitur a. 1319. Autor vero ipſe *Fr. Petrus de Rupe Maura cognomento Bruniquello* nuncupatur. *Rupes* porro *Maura (Rochemore, Roquemaure)* oppidum eſt Dioeceſis *Avenionenſis*, in quo obiit *Clemens* V. qui a. 1311. *Petro* Epiſcopatum *Aemonenſem* ſive *Novae Civitatis* in *Iſtria* contulerat. *Ughello* teſte T. V. *col.* 238. functus illo videtur usque ad an. 1328. *Gallus* itaque habendus eſt, non *Italus*, ut quidam voluere, quamvis cognomen ejus *de Bruniquello (Brunichelli, Brunnquell)* non *Itali* modo, ſed vel *Germani* vendicare ſibi poſſint. Opus jam ille ſuum inſcribit *Reuerendo in Chriſto patri ac domino ſuo precipuo Berengario (Fredeoli*, al. *Stedèlli* ſeniori) *diuina prouidentia epiſcopo Tuſculano et ſancte Romane eccleſie Cardinali penitenciarieque curam animarum gerenti poſt ſummum pontificem gregis chriſti*, qui laborem hunc illi injunxerat. Initium: *Quia feruenti deſiderio banelatis* (anhelatis) *ad ea que poſſunt cedere ad laudem creatoris et animarum ſalutem* &c. — *Sed quia abſtinentia carnem domat et caro extenuata habilior eſt ad contemplandum diuina. Idcirco de abſtinentia erit primum capitulum.* Hic igitur habentur omnia, quae ſacer Textus de *Abſtinentia* ſuggerit, et ſic *Capitibus* CCL. proceditur usque ad *Zelum*, tum hoc legitur ἐπιφωνημα: *Scriptum bruxellis et completum deo adiuuante per me fratrem Johannem Duyſſeldorp pro tempore curſorem ibidem et nouiſſime promotum in curſorem treueren. Sub annis domini a natiuitate M°.CCCCLXI°. 5. menſis Auguſti In conuentu fratrum ordinis beatiſſime Marie virginis de monte carmeli.* De Viro hoc inter Suos laudato mox. Hic ſolum obſervo, *Curſorem* adpellatione Academica dictum fuiſſe